crederet. devotionem exhibuit ut rogaret. ſapientiam induit ut ſani
tatem ſuam et ipſa ſentiret. fiduciam ſuſcepit ut fateretur quod praeripuiſſet a
lienum. Cur autem retro tangitur Christus? An quia ſcriptum est: post dominum deum tuum am
bulabis. Quid etiam ſibi vult quod et principis filia annorum .XII. moriebatur et
mulier iſta fluxu ſanguinis ab annis .XII. laborabat. nisi ut intel
legatur quia quamdiu ſynagoga viguit laboravit ecclesia. Defectus illius
huius virtus est. quia illorum delicto ſalus gentibus et conſummatio illius huius ex
ordium. non naturae exordium ſed ſalutis. quia caecitas ex parte Israhel conti
git. donec plenitudo gentium introiret. Non ergo tempore ſed ſpecie ſani
tatis antiquior ſynagoga quam ecclesia. quae quamdiu illa credebat iſta
non credidit. et per varias corporis atque animae paſſiones immedicabili
remedio aegra languebat. Audivit aegrotare populum Iudaeorum. ſperare
coepit ſalutis ſuae remedium. tempus veniſſe cognovit quo medicus adeſſet
e caelo. ſurrexit ut occurreret verbo. vidit quia comprimebatur a turbis.
Non enim credunt qui comprimunt. credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus.
fide Christus videtur. non corpore tangitur. non oculis conprehenditur. Neque enim videt
qui videns non videt. neque audit qui ea quae audit non intellegit. neque tan
git qui non fideliter tangit. Denique ut fidem tangentis exprimeret. ait: Te
tigit me aliquis. nam ego cognovi virtutem de me exiſſe. Quod est eviden
tis indicium. quia non intra poſſibilitatem conditionis humanae atque intra corporis
clauſtrum incluſa ſapientia divinitatis coartata est. nec capitur anguſtiis
corporalibus non tenetur. ſed ultra fides nostrae mediocritatis virtus ex
undat aeterna. Non enim humana ope plebs gentium liberatur. ſed dei mu
nus est congregatio nationum. quae etiam brevi fide misericordiam inclinat aeternam.
Nam ſi conſideremus quanta ſit fides nostra. et intellegamus quantus ſit filius
dei. videmus quia comparatione eius fimbriam tantummodo tangimus. ſu
periore vero vestimenti eius parte nequimus attingere. Si ergo et nos curari
volumus. fide tangamus fimbriam Christi. Non latet eum quicumque fim
briam tetigerit. qui tetigerit aversum. Neque enim deus indiget oculis ut
videat. neque corporaliter ſentit. ſed in ſe habet cognitionem omnium. Bea